





C.A. ~~8=5~~. 6A-6

64-9


R.27
3/3


Sal 86
Nº ~~94~~ 96

96

Collegij Paris. Societatis Jesu

LILII GREGORII GYRALDI FERRARIENSIS POEMATIA.





LVGDVNI APVD SEB.
GRYPHIVM,
1536.

IOANNES MANARDVS SYMPHORIANO CAMPEGIO, uiro omni laude maiori, S. P. D.



VIDE quanti te faciam, quantumq́ diligam Symphoriane: quotquot enī bonos uiros, hoc est, literis pariter, & sanctis moribus ornatos cognosco, eos tibi totis uiribus conciliare labo ro. Quod cùm nuper cum Lilio Gregorio Gy raldo, uiro omnibus numeris extollēdo, peregerim, ita eum tuum feci, ut te non minus iam charum habeat, quàm me, quem supra VII. lustra dilexit. Quod ut agnosceres, carmi na quædam sua, quæ mihi iamdudum dicauerat, tibi quoq; pariter dicauit: ut facilè, non solū tu, sed uniuersa simul Eu- ropa cognoscere posset, tali nos uinculo adstrictos, & nodo deuinctos, ut nulla, nec mortis etiam, ui dissolui posset. Di- scantq́ posteri, ueram quoq; amicitiam inter tres posse con- tingere: Si duo tamen dicendi sunt, quorum una sit mens, & una uoluntas. Quòd si uerum quoq; in rebus humanis est, quod Mathematici in quātitatibus statuunt, ut scilicet quæ cunq; eadem sunt uni tertio, inter se quoq; sint eadem; iam non tres erimus, sed unus: triaq́ erunt Campegij, Lilij, Ma nardi corpora, sed una tantùm mens, atq; ut sequēs est, unus qui uerè homo dici meretur. Tanta enim uis amoris est, ut unum sint qui se uerè amant. Accipe igitur hos hymnos læ ta facie; atq; ubi eos legeris, Sebastiano Gryphio, inter eos qui libros formis excudunt solertissimo, imprimendos da- to, mutuæ inter nos amicitiæ perpetuum testimo- nium. Vale mi Symphoriane, & cum per ma gnas tuas occupationes licet, aliquid tuarum literarum nobis impartire.

Ex Ferraria VI. Calend. Octobr. M. D. XXXV.

D. SYMPHORIANO CAMPEGIO, EQVITI aurato, domino Fauergiæ, Medico peritiss. omniumq́ʒ bonarꝫ artium cultori amplis. L. Gregorius Gyraldus S. P. D.



ABEO eruditiss. Symphoriane immortales gratias Manardo, nostrũ utriusqʒ amantiss. Qui ut est doctiss. ipse ac optimus, ita doctissimorum omnium buccinator est, & preco. Is igitur, cum ego superioribus mẽsibus ex geminatis cladibus afflictus, Romana altera, altera Mirandulana, tum demum in patriam reuersus essem, inter habitos, ut fit, inter nos sermones, in tui mentionem incidit: cumq́ʒ ille de te ea quæ debuit locutus fuisset, tum etiã pleraqʒ tui ingenij monumenta, & ea quidem uaria mihi ostendit, ex quibus multijugam omniũ fermè disciplinarum, nedum, quam profiteris, medicæ facultatis eruditionem, & censuram facile perspexi. Quare ut ab eo diligor, ita tuæ captandæ beneuolentiæ cupidissimus factus, poëticum hoc nostrum munusculum, non illud quidem te dignum, qualecunqʒ tamen, ea causa ad te misi, ne scilicet tuam cupiens inire beneuolentiã, uacuus omnino te adirem. Quod si qua parte tibi forsan

arriserit, post tuam, quam in omni facultate ex tuis scriptis aduerti, limam adhibitam, des operã rogo, ut tuis auspicijs literarum formis istic excudatur, idq́ꝫ in primis ea ratione facito, ut si minus natiua specie conspicuum fuerit, ascititia saltem, & peregrina, in testimoniũ tuæ mihi initę beneuolentiæ locupletissimum in ora hominum prodeat. Vale. Quem uita, & merita Iuppiter auctet ope. Ex Ferraria tertio Calend. Octobr. M. D. XXXV.

Eidem Symphoriano Camp.

Miraris fortasse Campegi Ornatiss. quibus rationibus nouus ego amicus usqꝫ adeo tibi beneuolentia deuinciar, quem neqꝫ unquam coràm conspexerim, allocutus'ue fuerim. Sed ea in primis me causa impulit, quòd cum Manardum uirum (ut nosti) preter morum & uitæ integritatẽ, totius naturæ consultissimum unũ precipue colam, teq́ꝫ is uehemẽter & amet, & admiretur, ob scilicet diuinas egregiasq́ꝫ animi tui dotes, ut te quoqꝫ amem plurimũ atqꝫ obseruem necesse est; paribus enim lineis Triangulum rectum cohærere conuenit. Vale iterum.

LILII GREGO RII GYRALDI FER RARIENSIS POE- MATIA.

In LXXIII. Manardi diem natalem.


VNC natalitium tibi libellum,
Te dignum facit una quẽ uoluntas,
Mittit Lilius hoc die Manarde:
Quo Phœbus deciesq́ septiesq́
Natalem, tribus additis, reducit.
Hunc lætus cape. sic dies recurrat
Hic, ò sic tibi sæpius Manarde.

Ad Phœbum in LXXIIII. diem natalem Manardi.

HVnc ò Phœbe diem precor Manardo
Lætum atq incolumem diu reducas:
Modum ut pulueris expleat Sibyllæ.
Nemo purius, innocentiusq́
Artes excoluit tuas medendi,
Quam dat uitam aliјs, meretur ipse.
Sic aræ caleant tibi quotannis,
Et uultus radiј tui nitentes
Nullis dispereant, precor, tenebris.

Hymnus ad D. Gregorium Pontificem Max.

IAm quibus ipse satis cœlo te laudibus æquem,
Sancte pater, terris ingens, ingentior astris?
Quid prius? an'ne pios mores, miracla'ne rerum?
An sacrum de more caput triplici infula uitta
Cum redimit, terno cui surgunt ordine turres:
Argumenta dei unius de numine trino?
An cum te latebris latitantem prodidit ales?
An referam cum uota facis, cum altaribus ipsis
Assistis tibi se manifesta ut luce uidendum
Exhibet ipse deus frusti sub imagine carnis?
An cum perpetuis inopes considere mensis
Ante iubes uili sese demonstrat amictu?
Et cum cœlesti mendici in ueste ministro
Vt nil exuperet donas cratera relictum?
Te propter nostro diuisa Britannia mundo
Supplex thuricremis aris imponit honorem,
Et signum complexa crucis, te propter eundem
Relligio seruata tui de nomine ritus,
Vndiqꝫ diuinis resonant & uocibus aræ.
Tu rem Romanam magno turbante tumultu
Seruasti precibusqꝫ pijs, patribusqꝫ uocatis,
Nec te ullæ insidiæ, non terruit ipse tyrannus
Sceptra tenens, non qui castris circunstetit urbem
Obsidione premens longa, sed inanibus armis.
Hic ira quondam superûm miseranda coorta est

Pestil

Peſtilitas,totam quæ exhauſit ciuibus urbem,
Quæ genus omne neci pecudum,genus omne uirorꝝ
Corripuit,miſeraq́ꝫ infecit pabula morte.
Nec facies erat una necis,non omnibus una,
Sed diuerſa modis:illos ſacer ignis edebat:
Hos papulæ ardentes,atqꝫ inguinis ulcera tetra:
His ubi anhela ſitis languentes coxerat artus,
Sudor abundabat fluidus,mortemq́ꝫ ferebat.
His artes ceſſere malis,ceſſere magiſtri
Phillyrides Chiron,Aſclepiadesq́ꝫ,Machaon.
Serpebant magis inq́ꝫ dies contagia morbi,
Cum te cura uigil (nomen fecere priores
Vnde tibi) tacito uerſat ſub pectore fixa.
Ceu cum peſte gregem uidit ſibi Theſſalus omnem
Abſumi paſtor,uel qui colit Atthidos arua.
Ipſe quidem populũ miſerans,patremq́ꝫ cadentem
Ante aras ſuperûm,coramq́ꝫ altaribus ipſis
Ad cœlum tollens oculos,ita farier orſus:
Summe pater diuûm,cuius de nomine nomen
Sortiti, licet immeritum,tuq́ꝫ optima uirgo,
Virgo parens,noſtræ tandem miſereſcite ſortis,
Et tandem infandis miſeros arcete periclis,
Sat luimus pœnas ſcelerum,ſat damna superq́ꝫ
Pertulimus,propius tandem ſpirate ſecundi,
Et prohibete minas,& tetram auertite peſtem.
Namqꝫ hæc ò ſuperi uos & maiora poteſtis,
Vobis iſte dies,uobis ſtata ſacra quotannis

Suppli

Supplicibus uotis, nitidaq; in ueste ministris
Perq; urbis uicos, perq; agri compita lata
Dicentur, magna populi comitante caterua.
Sic ait: Ecce autem subito deuectus olympo
Nuntius excelsa considens mole sepulchri
Nunc ubi nomen habet, madefactũ sanguine telum
Exertum abstergens, pacis dat signa futura.
Ergò prodigio læti clamore secundo
Accelerant promissa olli pæana canentes,
Supplicibus superant donis amburbia circum
Concelebrant populo ex omni turbaq; frequenti.
Salue sancte pater Romani maxime custos
Imperij, salue ò iterum decus addite magnis
Cœlicolis, uictor sedes inuecte supernas
In numerum diuûm, summiq; in tecta tonantis,
Funde tuo placidam populo pater inclyte pacem,
Effice per maria ac terras sopita quiescant
Bella, nec Ausonium quatiat furor impius orbem.
Respice pastorem Medicen, tranquilla gubernet
Tempora, cumq; suo uiuat grege dignus olympo.

Ad D. Annam Corycij.

ERgo unus te diua meo sine carmine mittam?
Sim licet exiguus uates, frustraq; poetis
Immixtus thiasos tentarim inducere Musis.
Tu mihi diua parens animos, & pectora presta,

Si te

Si te Corycius pariꝰ de marmore, si te,
Si natam intactam posuit, magnumq́ nepotem.
Ille etenim, magno uestri perculsus amore,
Erexit delubra, tuo de nomine dicta.
Stas primũ complexa ambos natamq́ nepotemq́.
Inq́ sinu repit, tenerisq́ amplectitur ulnis
Vos puer, ætherius puer, æterniq́ parentis
Progenies æterna, & nulli obnoxia culpæ.
Quæ tamen humanas luit, & scelus omne piauit,
Vnde tibi merito soluerunt ora poetæ,
Et laudes cecinere tuas, præclaraq́ uitæ
Munia, ut acta tibi castæ incunabula, molles
Non inter luxus, uanis non dedita curis,
Sed templis assueta frequens, precibusq́ tonantem
Supplicibus oneras, uestales inter amatas,
Vt coniuncta uiro Veneris despexeris ignes,
Cœlibe coniugio longos ut duxeris annos,
Vt te confectam suprema ætate tonantis
Prodiderit liquido demissus ab æthere castam
Esse dei matrem parituram nuntius ales.
Tu proprias partiris opes, pars tertia templis
Est instaurandis data, pars data tertia egenis,
Tertia pars uobis seræq́ alimenta senectæ.
Per te confecti curis morboq́ salutem
Accipiunt, per te & laniati corpore toto.
Quot per te falso damnati crimine mortis,
Quot uarijs terræ, pelagiq́ erroribus acti,

 Atq́

Atq; hominum insidijs seruati? Tu ò bona mate
Nunc ò nunc dubijs tantum ne defice rebus
Italiæ, uideas quo sint discrimine regna,
Ausonius quantis turbetur fluctibus orbis.
N unc age si qua uia est, si quam tibi nata nepósq;
Ostendunt(neq; enim frustra tibi numina tanta,
Nec pater omnipotens uestro est de semine natus)
Da pacem potius, & magni Cæsaris arma,
Gallorumq; truces animos in barbara uertas
Sceptra ducũ, Turcasq; feros, hoc Maximus optat
Hoc Leo, mortiferum cui cura auertere bellum,
Et pacem proferre orbi. Tu diua Leonem
Respice, iactatum tanto sub pondere rerum:
Respice, compositis regum ut discordibus armis
Conueniant proni & pedibus dent oscula sacris.
Hæc ego Corycij dum specto forte sacellum,
Innumerûmq; lego uacuus pia carmina uatum,
Anna tuo mirum incensus meditabar amore:
Nam quem non moueat tantæ pietatis imago?

Hymnus ad Diuum Leonem Pont. Max.

O Qui me gemino Parnassi in uertice sistat?
Aoniumq; mihi præsenti numine plectrum
Sufficiat? dum te canimus Leo Maxime, cuius
Auspicijs felix tranquilla per otia pacis
Mundus agit, ueteres & dedidicere tumultus

Mort

Mortales. Sæuus cum iam fera bella tyrannus
Intentans, ſumma cuperet dominarier urbe,
Ferret & indomitos maleſano in corde furores,
Eduxit Scythicamq́; manum, populumq́; ferocem
Vaſtantem late loca. dumq́; ea fama uagatur,
Italiæ gentes omnes, Romanaq́; pubes
Ancipiti eſt perculſa metu, ſpes nulla ſalutis,
Nulla fugæ ratio eſt, oſtentant omina dirum
Exitium: haud aliter Gallis intrantibus urbem
Pertimuit, uel cum Cannenſi clade ſuperbus
Annibal inſultans urbi eſt extrema minatus,
Ergò, te populus, te plebs, adiere patresq́;
Orantes ueniam diuos, pacemq́; per aras
Exquirunt, miſerasq́; ferunt ad ſydera uoces.
At tecum (miſeratus enim) tum plurima uoluens
Obuius ire paras regi, ſi flectere mentem,
Si poſsis dictis animum ad meliora referre.
Eſt locus, Eridano quo ſe ſe Mincius ingens,
Mincius ocneas gelido qui pectore flammas
Seruat adhuc, uatum placidus quiq́; irrigat ora
Miſcet agens: huc iam prouectus barbarus hoſtis
Venerat armato ſtipatus milite denſo.
Illum hoc forte loco parua comitante caterua
Offendis fidens animi, atq́; interritus armis.
Non tibi baccatum triplici diadema corona,
Non peplum ex humero ſignis auroq́; coruſcum,
Sed lituus tantum præit, niueaq́; miniſter

Discinctus tunica. Tum rex consistere iussit
Agmina, miratus quæ sit fiducia inermi.
Ecce autem (mirum) facies emittere lumen
Visa tua est, subitoq́ꝫ ignis splendente corona
Inuolui, summoq́ꝫ duos de uertice diuos
Fundere, lambebatq́ꝫ comas & tempora flamma.
Rex pauidus trepidare metu, mussare cohortes,
Diriguere animis uisu, mens effera cessit,
Expleri nequit intentus rex usq́ꝫ tuendo
Flagrantes uultus, hæret sed pectore toto.
Non secus Aeneas stupuit, cum fundere Iuli
Visus apex lumen: uel cum Lauinia uirgo
Regales accensa comas, pater ipse Latinus.
Tum sic affaris, sustollens lumina, regem.
Ipse deûm tibi me genitor mandata per auras
Ferre iubet, cœlum & terras qui numine torquet.
Abstineas à cæde manus, Romanaq́ꝫ linquas
Tecta, nec Ausonium fas est tibi uisere Tybrim.
Cede deo: diuos nec contra audentior ito.
Vix ea fatus erat , cum regi multa paranti
Obstruit os diuûm pater, & uox faucibus hæs
Iam tum consilia in melius, tum deniq́ꝫ mentem
Vertere rex cœpit, ponitq́ꝫ ferocia mitis
Corda, uolente deo ; nec iam parat obuius ire,
Quin dictis paret, uetitaq́ꝫ excedere terra
Actutum celerat, patriasq́ꝫ exquirere sedes
Omnibus est animus, par est sententia cunctis.

Ergo

Ergo alacres redeunt. Tu pacis munera Romam
Læta refers: te læta capit Romana iuuentus:
Nomen in astra ferunt, lætis clamoribus omnes
Ingeminant pæana, & festa fronde coronas
Intexunt, caua tum tinnitus turribus altis
Aera cient, referuntq; Leo Leo compita & aræ.
Hæc tua facta quidem. sed quo nũc carmine dicam?
Vel cum restituitq; manum castissima uirgo?
Vel cum consilioq; patrum sacriq; senatus
Dissidium unigenæ reluis, cogisq; fateri
Nestorium esse triplex uno sub numine numen.
Barbarica disiecta manu, noua mœnia Romæ
Tu reparas, urbemq; tuo de nomine ponis.
Tu sacros ritus, tu mystica munera noris,
Et fandi numeros, & sacra uolumina legis.
Tuq; dei interpres, tu præpetis omina cœli,
Numina tu uatum, & uenientia tempora sentis.
Hinc tua te quando iam fata extrema uocarent,
Et circunfusi gemerent populusq; patresq;,
Hæc ollis oracla canis diuine sacerdos.
Parcite lamentis, lachrymas & mittite inaneis,
Prædicam: ueniet olim labentibus annis
Tyrrhena qui gente meo me nomine reddet,
Atq; umbrata geret regali tempora mitra,
Vni cui pacis studium, cui secula curæ
Aurea, qui rursus pacata per otia mundum
Componet, conuulsa suo qui corpore membra

Restituet, patresq; uocet, sanctumq; senatum,
Sacraq; cui lambent proni uestigia reges.
Quiq; Scythas super & Turcas, super & Garamãtas
Proferet imperium Romæ, gentesq; salubri
Mersabit fluuio, mores uitamq; docebit
Relligionem animis, hunc expectate futurum.
Hæc dicens placida compostus pace quiesti,
Aureaq; in solio stellantis regia cœli
Te capit, & diuûm numerum felicior auges.
Vnde reos uoti damnas, propriusq; tonantis
Colloquio frueris diuino nectare pastus.
Salue sancte pater Romani maxime custos
Imperij, salue magnum decus addite magnis
Cœlicolis, Italæ magnum decus addite genti.
Iamq; tuo felix adsis pater alme Leoni,
Et uotis faueas princeps & rite secundes,
Si tua consequitur cupidus uestigia morum,
Si solium hoc animo & sceptrum sacrumq; Tiaram
Suscepit, populos uocet ut sub fœdera pacis:

Diuo tutelari, custodiq; Ferrariæ, Sancto Georgio, Hymnus.

SVffice plectra pater, nostræq; illabere menti,
In patriam ut rediens digno te carmine dicam,
Post pelagi terræq; minas, post funera acerba,
Sit licet & morbis atq; annis ægra senectus,

Debil

Debilitetq́ animi uires, minuatq́ uigorem.
Adsis tu tamen alme pater, uiresq́ ministra,
(Namq potes) neq enim nequicq summus olympi
Arbiter extremum dederat tibi munus amanti,
Cum dirus tortor caput à ceruice reuellit.
Vnde igitur capiam tantarum exordia laudum?
Quod primum mihi carmen erit? num prima iuuētæ
Gesta tuæ referam? atq actos tibi puriter annos
In castris, ubi te non ulla licentia flexit?
An cum Cappadocum dicebas iura Tribunus
Gentibus, & clari Melitenæ nominis urbi?
Seu cum Thessalico medicatum carmine uirus
Nec semel hausisti sine noxa? quod magus ipse
Conspiciēs, proprio est factus tibi CHRISTE cruore
Testis, & athracias damnauit, iam pius, artes.
An'ne rotam memorem, rapida uertigine, quam tu
Distentus radijs, & acuta cuspide clauis
Disijcis, atq ima precibus de sede reuellis?
An cum te plagis laniatum corpore toto
Et sale conspersum, tenebris & carcere clausum
Splendidus inuisit (dictu mirabile) CHRISTVS,
Et te solatus diuino nectare pauit?
Quid dicam populi in medio cum Cynthius ipse
Numina falsa deûm propria est confessus in æde?
Igneq́ cœlesti simulachra incensa deorum?
Quot per te bello erepti, pelagiq́ periclis?
Quot conclamati, atq ipsis è faucibus orci

Edu

Eductiq; ſtetit & quoties Ferraria bellis
Inuictaq; atq; aliæ centum,quas protegis urbesq;
Deniq; geſta tibi tot ſunt miracula rerum,
Quæ ſi cuncta meo complecti carmine ſperem,
Idem etiam ſperem numero comprehendere cœli
Sydera,& æquoreo quot nent i gurgite piſces.
Præſtiterit tamen è multis uel di r unum.
Eſt lacus arctoum qua Lydia uergit ad axem,
Haud procul à Lyſiæ qui ſtagnat mœnibus urbis,
Fluctibus aſſurgens,& nigro turbidus æſtu.
Editus hic ingens ſinuoſis orbibus anguis,
Squammeus,horrendo aſpectu,cui ſanguine & igni
Suffecti ardeſcunt oculi,uibratq; trilingui
Gutture ſerratos dentes,cui naribus ater
Spiritus it,tetrum qui ſpargit in aëra uirus:
Tum ſimul & ſæuo dat paſsim uulnera dente,
Vnde oriturq; hominũ pecudumq; miſerrima cędes,
Huic tandem deuota datur,poſt funera mille,
Et poſt mille neces infelix regia uirgo.
Nec potis eſt precibus genitor,nec diuitis auri
Pondere longæuus dulci ſuccurrere natæ.
Sortibus hæc ductis nam monſtro in littore uincta
Siſtitur,ex humeris peplumq; ſinusq; crepantes
Pendent carbaſei,in nodum quos colligit aurum:
Tum ſuper & picto crocei ſub tegmine acanthi
Compta,uelut primis ornatur ſponſa hymenæis.
Ah uirgo infelix,tu ſola in littore monſtro

Expo

Expoſita? haud tecum quæ te ſolentur amico
Alloquio comites, nō ſaltem ſedula nutrix,
Non famulæ, colubro cum tu data præda fuiſti?
Quid tibi mentis erat? uel quæ ſuſpiria uirgo
Fundebas miſera, eheu, in littore ſola relicta?
Quantos ipſa tuo rumpebas pectore queſtus?
Qualis in Aethopum ſcopulo religata pependit
Andromede, pœnas iniuſtas pendere iuſſa.
Non tulit hanc ſpeciem, non iam Danaëius heros,
Sed CHRISTI miles, illo qui tempore forte
Accelerans Lyſiæ tranſibat mœnia propter,
Miratus comptæ nexus & uincla puellæ,
Et tanti quæ cauſa fuat diſcriminis orat.
Cui uix attollens oculos, procul effuge, uirgo
Hoſpes, a[illegible], ſimilis iuuenem fortuna periclo
Ne dedat, cauſamq́ ſimul, remq́ ordine pandit:
Quam miles placida eſt ſolatus uoce gementem.
Interea procul ecce audiri murmure ſtagnum
Miſceri, & ſimul undarum increbeſcere fluctus,
Cum uaſtum è ſumma monſtrū caput extulit unda,
Huc illuc uoluens oculos, quo littore uirgo
Eſt poſita, huc fertur: iam ſpumea, murmurat unda
Qua ſecat undoſum ſpiris ingentibus æquor
Bellua, qua uertit caudæ uada turbida tractu,
Iamq́ tenet littus, per humum iam pectore ſerpit,
Contorquens uaſtos immenſis orbibus orbes,
Virginis extemplo ſoluuntur membra timore,

Ingemit,& mœrens uix tollit lumina cœlo,
Lumina,nanq; manus arcebant uincula molles,
Tantum aberat ſerpens quo ceſpite ducta puella,
Quantum tranſmittit contorta phalarica telum.
Territus & primo aſpectu Melitenius heros,
Ac breuiter ſumma inſpectans conuexa precatur.
Da pater hac dextra inſontem ſeruare puellam,
Et nati, nomenq́; tuum proferre per orbem.
Audijt omnipotens, uireſq́; animumq́; miniſtrat.
Iamq́; olli incendit maior præcordia uirtus.
Ergo ſalutifero munit ſua pectora ſigno.
Et ſubitò conſcendit equum,nec plura r[illegible]atus,
Arboreum telum ſimul ocyus arripit ingens,
Cornipediſq́; ferit calcaribus ilia pronus.
Fertur in aduerſum magno conamine monſtrum,
Ceruicemq́; ferit,qua ſpinæ iungitur armus.
Vulnere quo læſus lædentem ſæuior hydrus
Inſequitur,lingui[illegible] micat, & ſibila pandit
Ora furens,iamia[illegible] inſtat,quem uirgo tremiſcit
Inſpectans,geliduſq́; coit formidine ſanguis.
At non ſic heros,maiores pectore uires
Concipit,& nitens telum fatale coruſcat
Ingens fraxineum, & magno ſimul intonat ore,
Fortunamq́; oculis ſortitur,& arduus urget
Alipedem: ille uolat rapidus: fortuna nec ictum
Fruſtratur: ferit haſta latus,coſtaſq́; recludit.
Ingentes animos gemino de uulnere ſumit

Vipera,

Vipera,& ardenti ſpumas agit ore cruentas,
Inſequiturq́ꝫ equitem maculoſis orbibus hærens.
Ille retro ſenſim: dum tandem tempore capto
Correpto campi ſpatio procurrit in hoſtem,
Fertur & obnixus qua panditur oris hiatus
Inſerit haſtile,& guttur tranſuerberat ictu.
Paulatim ad terram deuexo labitur anguis
Vertice,ſeq́ꝫ ſuo moriens in ſanguine uerſat.
Nec mora,nec requies,arrepto protinus enſe
Heros colla ferit,caput & ceruice recidit.
Et truncum exanimem porrectum liquit harena.
Quod læti è muris ſpectantes undiqꝫ ciues,
Clamorem ingeminant,& latè mœnia circum
Reſponſant ripæq́ꝫ lacus,& concaua ſaxa.
Soluitur interea uirgo,uittæq́ꝫ leuantur,
Panduntur q́ꝫ urbis portæ,ruit undiqꝫ turba
Viſendi ſtudio,ſeruatoremq́ꝫ puellæ
Carminibus lætis & feſta uoce ſalutant.
It circùm latè uolitans ea fama per urbem,
Et iam grandæui peruenit regis ad aures.
Qui ſimul ut natam incolumem , cæſumq́ꝫ draconē,
Vltoremq́ꝫ equitem CHRISTO uiciſſe fauente
Audijt,extemplo,ſanctum ceu numen,adorat
Præſtantem iuuenem,grates cui ſoluere dignas
Et parat,hortaturq́ꝫ ſuis conſidere tectis.
Dona dehinc auri infecti,factiq́ꝫ talenta
Ferri magna iubet,cælataq́ꝫ Lydia uaſa,

Omnia quæ conflata heros largitur egenis:
Grata docens magis eſſe deo, quæ munera puro
Corde damus. quæ rex fido ſub pectore uerſans,
Credidit actutum dictis, Chriſtumq́ꝫ fatetur
Eſſe deum, trinoq́ꝫ unum de numine numen.
Tum uero primum Lyſiam abiuraſſe deorum
Numina falſa ferunt, & ſacro fonte piatam.
Salue inuicte dei miles, decus addite ueris
Cœlicolis, dudum ſtellantis regia cœli
Quem tulit, & pedibus qui lucida ſydera calcas.
Numine ſub cuius Ferraria læta quieſcit,
Auſpicijs fundata tuis, maioribus aris
Templa tibi nuſquam phario de marmore ſurgunt,
Hic ubi ſacra, dieſq́ꝫ tuo de nomine feſtos
Læti agimus, & thura tuis imponimus aris.
Nec gens ulla tuos æque ueneratur honores.
Populifer flaua qua præterlabitur unda
Eridanus niueos paſcens in flumine olores,
Quorum carminibus Bethys mulcetur & Indus.
Huc ades ò cætuſq́ꝫ tuos, tuaq́ꝫ aurea templa
Dexter adi, placiduſq́ꝫ animis illabere noſtris:
Da nomenq́ꝫ tuum ne caſſa in uota uocemus.
Sis bonus ò felixq́ꝫ tuis pater optime, tutam
Da patriam à cœli morbis, Martiſq́ꝫ furore.
Tum ſuper hunc ſaltem iuuenem defende periclis,
Egregium forma iuuenem, & præſtantibus auſis
Alcidem decus Aonidum, & Tritonidis ingens.

Quem

Quem pater Alfonſus tantis uirtutibus actus,
Firmius Herculea cum regnum ſtare uideret
Ceruice,& gemino ſub robore fortius eſſe,
Conſortem imperij fecit, partitus habenas.
Hinc ſenium tranquillus agit, natosq́ nepotesq́
Inter, Neſtoreos æquans feliciter annos.
Mi uero pater alme ſeni da uincere iniquam
Pauperiem, geminã poſt cladem & funera amicûm.

Ad eundem D. Georg.

HOs ego diue tibi numeros laudesq́ canebam,
Dum poſt clementis funus ſine præſide puppis
Fluctuat,& ſtudijs diſcordibus omnia mixta,
Interea & ſanctus coit omni ex parte ſenatus,
Flecte, oro, ſummum precibus pater alme tonantem,
Vt ſubeat clauum qui tempeſtatibus actam,
Dirigat in portum, diſcuſſa nube, carinam.

Populus, Ferraria: Lycus, eſt Lilius:
Fiſtula uero Hymnus:

POpule quæ bicolor Phaëtontide conſita ripa es,
Paſtorem amiſſo ne grege ſperne Lycum.
Accipe quæ fragili compacta eſt fiſtula canna,
Nec dedigneris munera parua ſenis.
Sic tuus Alcides uictor, quæ monſtra uagantur
Cuncta domet, uinctus tempora fronde tua.

Excitatio in Paraſceue.

COrpora morte obita exurgunt,exciſaq́; ſaxa
Atq; elementa gemunt in nece CHRISTE tua.
Ecquid ego hic iaceo,nec ſaxea corda liqueſcunt,
Diffluo nec lachrymis in nece CHRISTE tua?
Vnde rigor tantus mihi? me tu reſpice tantum
CHRISTE,fluent lachrymis ſaxea corda pijs:

Ad M. Hieronymum Vidam poëtam.

DIi patrij indigetes , Dij , quos & maxima rerum
Roma colit,ſeptemq́; ſuis in collibus aras
Seruat adhuc,ſeruate precor mea gaudia Vidam.
Vidam Muſarum comitem,quem carmina ſemper,
Et pia ſacra iuuant,niueaq́; in ueſte ſacerdos,
Et uobis Muſiſq́; canit,diſcrimina uocum
Qui numeris aptare ualet,ſeu pectine eburno,
Seu curua uelit ille lyra(mirabile dictu)
Atq; feras & ſaxa trahit dulcedine cantus.
Huic Stygiũ prohibete malũ , indignũq́; Promethëi,
Vt luat hic audax facinus,cœliq́; rapinam.
Quis caneret Diuos? quis thure & floribus aras
Spargeret? æternumq́; ſacris accenderet ignem?
Quis Medicamq́; domũ, primaq́; ab origine gentem
Magnanimûm heroum? quis tot diſcrimina adijſſe
Inſignem pietate uirum,quem tempore longo
Errantem patria profugum miſeratus ab alto

Reſtit

Restituit tandem diuûm pater atq; hominum rex:
Quo extemplo pacata omnis Florentia,& omnis
Seditio,nullo ciuili infecta cruore.
Cuius ubi inspexit mores,animumq; quietum
In cunctos,propriosq; hostes(nam uincere solum
Non proferre iras quærit,non perdere gentes)
Hunc sibi consortem regni,in partemq; uocauit
Imperij,triplicisq; dedit diadema coronæ,
Assereret gentes ut iniqua ab lege tyrannûm:
Hic ò,hic Roma tibi cunctando restituit rem:
Hic reget imperio populos,uincetq; rebelles,
Et contemptores superûm,atq; abolere nefandum
Iam nomen parat,& sceleratam excindere gentem
Tutariq; prius summi cunabula regis.
Ne diuûm toties frustra sit credita tellus.
Hic unus Solymos,templa & temerata tonantis
Vltus aget uictor spolijs insignis opimis
Num flammis ambesa uides ut templa reponit:
Vtq; Deûm suspensa tholis donaria figit:
Exequiturq; sacro solennes ordine pompas:
Et sua cuiq; iubet reddi stata sacra quotannis:
Quin age magne Leo susceptum perfice munus,
Carpe uiam,inceptis uiden ut Mæotica primis
Horrescit tellus,trepidant ut Caspia regna,
Et Scythicũ omne solum,& septẽ gemini hostia Nili:
Eia age ne dubita,uolucri uictoria penna
Iam uolitat circùm , uiden ut circunstetit ingens
Iam

Iam metus, ut turbati animi, concuſſaq́ꝫ regum
Pectora, iam ſibi nulla putant loca tuta tyranni:
Non ſecus accipitrem ſimul aſpexere columbæ
Diffugiunt, ac tecta petunt, turriſq́ꝫ latebras:
Aut qualis cuſtode lupus, lætoq́ꝫ iuuenco
Occiſo, timet ipſe ſibi, cum ruſtica pubes
Armatur, fugit ille prius, ſeq́ꝫ auius altos
In montes, ſyluaſq́ꝫ abdit. Sic impius olim
Iam latebras ſibi Turca parat, iam deſerit arces
Conſtantine tuas. ſpondet Babylonius ultro
Iam Solymas, urbemq́ꝫ ſacram, fremit undiqꝫ turba,
Diſſenſu, abijcit arma manu, & ſe uicta fatetur:
Vſqꝫ adeo hæc iam fama orbem terroribus implet.
Ergo quid dudum ceſſas, deſueta triumphis
Agmina, quin reſideſq́ꝫ uocas ad bella cohortes:
Hoc te Roma rogat Capitoli à ſede uetuſta
Hoc omnis te magne Leo rogat Itala pubes.
Purpureiq́ꝫ patres criſtis, hoc mitis Iulus,
Eloquio hoc Bibienna potens, duo lumina patrum,
Certatim hoc reges, quin ſe tibi protinus addunt
Hiſpani ſocios, nec non quas Sequana gentes
Alluit, & quas Rhene tuo complecteris amni,
Et quas ſepteno curſu perlabitur Iſter.
Vltima te ſequitur Thule, & glacialis Hyberne,
Quaſq́ꝫ mari uaſto circumfluit Amphitrite
Inſulæ oceano in magno Ionioq́ꝫ frementi.
Ecce tibi frater pura qui nititur haſta

Iulius Hetruſcum nomen tua maxime Laurens
(Prole tua felix Laurens & prole nepotum)
Porgenies auctura Italos,gentemq; Quirini.
Numina quem poſcunt,cuius per tempora multum
Fata indulgent terris & læta omnia ſpondent.
Hic uir hic eſt,tecum qui iam noua bella mouebit,
Imperium faſcesq; feret,ſæuasq; ſecures
Accipiet,tecum ut pacata per otia mundum
Componat,tranquilla reget tecum aurea ſecla.
Quem iuxta ſequitur iuuenis qui nomine reddit
Et factis promittit auum,manibusq; parentem,
Cui clypeus leua,quem multo inſignijt auro
Cælatus mira arte Leo,ſex undiq; ſeptus
Orbibus,argumentum ingens,tria lilia florent
Cæruleo,reliquos infecit purpura diues,
Nunc quoq; mature patriæ ciuilia tractat
Munia ſeu ſit pace opus,aut decernere bello.
Tum Pius agmen aget,triplici cui pectora Pallas
Aegide protexit,dedit & trina arma mouere,
Attonitis inhians animis quem turba loquentem
Miratur,ciat hic uerbis,ſeu mulceat iras.
Vna ingens Picus patrui qui nominis hæres,
Cui pater omnipotens dederat cœleſtia noſſe,
Naturamq; omnem,& rerum cognoſcere cauſas.
Ah nimium ille quidem raptus melioribus annis.
Hic tibi Muſarum pariterq; & munera Martis
Præſtiterit,dignus patriæ cui lætior eſſet

d Con

Conditio, nec tanta pati díſcrimina regni.
Filius huic iuxta patris de nomine Picus,
Nec minus incenſus patriæ uirtutis amore:
Quem Carrapha tulit dias ſub luminis auras
Sebethis, una ante alias pulcherrima Nymphas.
Aſpice ut inſignis Rhango fulgentibus armis
Annibal ingreditur, longe ut ſupereminet omnes
Egregius iuuenis forma, & præſtantibus auſis,
Quantus in arma ruit, quot humi morientia fundet
Corpora, quam multis uiduabit ciuibus urbes:
Palantes aget hic populos, atq; agmina uertet.
Vel cum inuectus equo, uel cum pedes ibit in hoſtẽ.
Conſilio haud uirtute minor linguaq́; diſerta.
Præuenit, hoſtilesq́; actus & tempora, nouitq́;
Et lenire animos, aptisq́; accendere uerbis.
Proximus huic frater ſeſe mauortius addet
Guidus in arma ferox, cuius de caſside uertex
Surgit holorinus, Veneris monumenta paternæ,
Trinacrius quem portat equus, cui pectore & armis
Luxuriat ſpadix, frons illi atq; ardua ceruix
Alba nitet: tum ſi qua procul ſonuere phalanges,
Terram crebra ferit, hinnituq́; æthera complet.
Ipſe autem giluo & ferrugine clarus Ibera
Matribus, heu, quantos gemitus, nuribusq́; parabit.
Fortunati ambo fratres, præſtantibus armis,
Et uirtute pares, animisq́; & robore firmo,
Candida quos genuit Leuce prope flumina Rheni:

Leuce

Leuce clara atauis, numerumq; auctura dearum.
Dehinc præſtans animi & nulli uirtute ſecundus
Caſtilion decus Aonidum: cui carmina ſemper
Et citharæ cordi: ſed ubi dat Buccina ſignum
Hinc Mauors furit, hinc Tritonia Gorgone ſæuit,
Mantua non ullo tantum ſe iactat alumno.
Poſt hos turba ingens, qualem haud uidere Mycenæ
Cum Danaum collecta manus ultura rapinam
Hoſpitijq; fidem: quorum nec nomina quæ ſunt,
Nec numerꝝ in prõptu eſt noſtro cõprehẽdere uerſu.
Sed quid ego ingentis perculſus amore Leonis
Inceptisq; pijs digreſſus carmine primo
Deſerui te Vida, animi pars maxima noſtri?
Te'ne ego crudelis uerſantem turbine lethi
Deſerui, & quæ uota penatibus & magnis dijs
Concepi? Ah iterum magnæ pia numina Romæ
Vos, rogo, uos ſeruate pium, ſeruate poëtam
Hæc quem geſta manent plectro maiore canenda,
Sufficiunt uires præſentia numina Nymphæ,
Nymphæ Seriades, quæ primum ſerica penſa,
Monſtrauere Italis, depexaq; uellera Moro,
Quam latio induxere ex aërio Parnaſſo
Intactam, miro complexæ Scacchida amore,
Nympharꝝ hęc ſoror una eſt, quã ſibi iungere multi
Heroës petiere, illa auerſata petentes
Egregium mirata decus pectusq; Fregoſi,
Cui luſus artesq; ſuas narrauit & aſtus.

His fretus age Vida tuo iam pectore Phœbum
Concipe, Castaliamque hauri & Parnassida laurum,
Arma uirumque canas, totam qui in prælia coget
Europam, pulchra pro libertate tuenda.

Iulio Sadoleto.

EIa age, te bijugi mecum super ardua montis
Raptet amor, cuius pridem patet orbita fratri,
Aeterno accedit propius quo nemo Maroni.
Egregias cuius uirtutes, claraque scripta
Se præter, nullus potis est æquare canendo.
Ille tibi sydus præsens affulserit, ille
Et rerum causas, naturæque abdita pandet.
Ille & stellarum numeros, & nomina, & ignes,
Erroresque uagos Lunæ, Solisque labores.
Qui motus quatiat sola, qui nam fulmina cœlo
Molitur, quod fas homini, quod legibus æquum.
Quis diuûm metus, & quàm sit uenerabile numen.
At te si qua manet fraternæ gloria laudis,
Ah, ne spinosas Erycina in pectora curas
Inserat, immites scopulos, Acheloïa saxa
Effuge, Circæosque sinus mutare figuras
Iam pridem solitos uariarum in monstra ferarum:
Nec te sudoris pigeat. Pater ipse canendi
Difficilem esse uiam uoluit, qua semita ducit
Aonas ad montes, uocaliaque antra sororum.
Scilicet ut magno cœli stent munera nobis.

Huc

Huc uiden ut iam Sanga ſuo maturior æuo
Nititur, atq; auſis pueri maioribus inſtat,
Vtq; illum Bibienna puer, puer indole clarus
Sectatur, noua iam ut meditatur carmina Phœbo?
Poſſem multa tibi uiuentum exempla referre
Bembumq; Vidamq; meum, quibus Itala tantum
Nunc floret terra alma uiris, quibus & Leo magnus,
Et magnus Bibienna ultro largitur honores.
Ergo adſis Iuli, nec te tibi ſubtrahe tantum.
In manibus Muſæ ſtudio cultuq; frequenti
In quaſcunq; uoles arteis haud ſegnius ibunt,
Heroum ſeu geſta uelis, ſeu pangere plectro,
Et pugilum ceſtus, & libera dona Lyæi.
Nec laſciua tibi molles Elegeïa uerſus
Abnegat, aſpiratq; Charis tibi lumine læto.
Et Venus Aonidum comes, & dux optima uatum.
Nec tibi defuerint (inſtes modò) Palladis artes.
Quod ſi tanta ſinas elabi commoda Iuli.
Heu fruſtra, cum mox irrepet cana ſenectus
Præteritos miſer increpitans reuocaueris annos.

Clementi VII. in Adriani mole detento.

TE'ne huc immitis Clemens detruſit Hiberus,
Germanusq; ferox? ſolis'ne impune licere
Quod libitum? & miſcere datum ſanctumq; piumq;,
Et templis, ipſisq; aris non parcere diuûm?

Vnde tot Europæ ades, totq; horrida bella,
Et populis tot damna tuis, & funera acerba.
Nūc quoq; (qđ grauius) tua sceptra et regna gubernāt
Qui miseros spoliare tuo nos munere gaudent,
Et nobis grauiora ferunt, quàm miles Iberus.
Scilicet haud satis excidium uidisse Quiritum,
Direptamq; urbem, & lachrymabile funus amici?
Aeternū heu funus lachrymabile, quo mihi adempta
Spes est, præsidiumq; bonis. cape munus inane
Nunc gemitus tantum, & mœsti suspiria cordis,
(Quando aliud nos dura negāt dare tēpora Rhango)
Si quando Ausoniæ crudelia bella quierint,
Digna feres, tumuliq; parem soluemus honorem.
Nunc ò CHRISTE hominū semper miserate labores,
Qui nos morte tua meliorem uiuerem uitam,
Consortesq; facis cœli, miserere rogamus,
Et mundo incolumem Clementem redde labenti,
Sospite quo tranquilla uehet pax otia terris.

Michaël Archangelus.

O Si te meritis tollere laudibus
Cœlestis ualeam uictor adoreæ,
Impar nec fuerit si tibi barbitos.
Dicam militiam, atq; horrida prælia,
Queis uictus coluber corruit æthere,
Asserta & superi est regia principis.
Dicam examine quo crimina sontium

Et

Et functas animas corpore temperas
Questor bone, dicam placidissime
Vt princeps animis labere nuntius,
Instillasq; dei oracula mentibus.
Vt recto miseros tramite dirigis,
Fallacemq; doces flectere semitam.
Dicam cœtibus ut præfueris prius,
Et custos Solymæ sabbata rexeris,
Donec uera dei uirginis integra
Aluo progenies edita contulit
Lucem ueridicis uatibus abditam,
Ex quo præpositus gentibus es pijs,
Et CHRISTI populum dirigis aliger.
Dicam quanta feras undiq; munera,
Et nunc aërio maxima uertice
Gargani, hic ubi surgit uenerabilis
Aedes ætheria (mirum) ope condita.
Dicam ut plura mihi commoda sufficis,
Depressumq; tuo munere subleuas,
Atq; auctum recreas me patrimonio.
Vires interea dum mihi comparo
Languenti, & meditor templa reponere
Collabentia, nunc fretus ope & tua
Et Pici, faueas, nec sinito irrita
Vota esse, æqua pij si modo poscimus,
Mox maiora tibi pectine concinam
Lesboo orsa memor, dux bone mentium.

FINIS.

i123225 44